

20
RVDOLPHI
SECUNDI

u) 121
20

SACRATISS: ET INVICTISS:
ROMANORVM IMPERATORIS,
GERM: HVNG: BOEMIAEQ. &c.
REGIS, &c.

*Reuerendiss: & Illustriss: Domini, Dñi Stanislai
Pawłowski, Episcopi Olomucen: Principis,
Regalis Capellæ Boëmiæ Comitis, &c.*

Oratoris

AD

Incltyti Regni Poloniae, & Magni
Ducatus Lituaniae, &c. ampliss.
Senatores, & nobiliss. Equites

ORATIO

In Castris apud Varslauiam ad noui
Regis electionem habita,

Die 14. Mensis Augusti, Anno Domini
M. D. LXXVII.

ADOLPHI

SECVNDI

SACRATISS: ET INVICTISS:

RO: VICTORVM IMPERATORIS

MAXIMILIANO DOMINICO

REGIS, &c.

Reverendissimo Pater, Dominice Domini

Prætorie Episcopi & Curie Principis

Regalis Castellæ Boemæ Comitiss, &c.

ORATIO



In Christi nomine Amen, & Magni

Ducis Saxonie, &c. Archiepiscopi

Senatoris, & nobilis Equitis

ORATIO

In Christi nomine Amen, & Magni

Regis electionem habita

Die 14. Mensis Augusti, Anno Domini

M. D. LXXVII.



122
REVERENDISS: ET ILLVSTRISS:
DOMINI, D. STANISLAI PAWLOWSKI,
Episcopi Olomuceñ: Principis, Regalis Capelle
Boëmiæ Comitiss, Sacræ Cæs: Maiest:

ORATORIS,

*Ad Inclyti Regni Poloniae, & Mag: Ducatus
Lituaniae, &c. ampliss: Senatores,
& nobiliss: Equites*

ORATIO.



Ideo, Reuerendissimi,
Illustrissimi, Nobilissimi
& fortissimi Viri, more,
institutoq; maiorum ve-
strorum, singulari sa-
pientia, & summa pie-
tate, vos verè clarissimos
Senatores, de Reipub: Patre & capite, hoc
est, de Rege Serenissimo, & optatissimo,
animis vestris, atq; adeò æquissimo desiderio
patriam communem, vt antea inuictam, &
claram, sic modò fortunatissimam reddendi,

A ij tanquam

tanquam veros Patres patriæ, & Progenitores Serenissimorum Regum, inter vos prouidè admodum, & diligenter pertractare.

Quod etiam ego vestrum omnium studiosissimus; vt qui genus meum à maioribus Polonis duco; & ideò mihi quoq; communem hanc vnà vobiscum patriam charissimam esse censeo; tantis animi mei conatibus in eam cogitationem descendo; quantis & cupiditate, & studio, patriam istam longè dulcissimam, Christianamq; Rempub: quibus vitam meam, atq; adeò me ipsum debeo, saluas, integras, & florentes exoptare soleo.

Ex quo à DEO Opt: Max: Regum omnium Rege, & Parente, efflagito primùm, eam mentem vobis in hoc celeberrimo Conuentu donari, qua concordibus animis, & suffragijs, vti Publij quondam Scipiones, quales vos esse omnes videre videor, in præsentì grauiissimo negotio, tanquam summo cardine, nihil periculosè agitantes, supremum Reipub: vestræ liberrimæ Parentem, qui inter liberos
Sena-

Senatorum, & Equitum ordines, R E X vobis esse debet, ad incolumitatem, ad decus, ad gloriam omnium vestrum, ad totius Imperij Christiani emolumentum statuere, & decernere possitis.

Deinde eundem Regnorum Conditorum, vt antea priuatim saepius, sic modo publice coram vobis obtestor, & oro; vt mihi eam rationem dicendi largiatur, qua vestris animis sapientissimis, & integerrimis, cum Regem eligendum, & confirmandum insinuem, quem vniuersus propemodum populus Christianus, suis votis, suis desiderijs, suis acclamationibus, atq; adeo etiam proprijs bonis, & vita, si modo volueritis, suscipiendum, & folio decorandum esse arbitratur.

Hoc ipsum Christiani Imperij Monarcha R V D O L P H V S Imperator, Germaniae, Hungariae, Boemiae, &c. Rex, Dominus noster clementissimus, vicinus vester, & cum aliorum antecessorum vestrorum Serenissimorum Regum, tum maxime eorum, qui ex amplif-

A iij

fima

fima olim illa, & celeberrima Iagellonica
 stirpe prodiere, atq; eapropter tantò magis,
 non solum necessitudinis, sed etiam propin-
 quitatis, & cognationis modernæ Serenissimæ
 Reginae vestrae, arctiori vinculo coniunctus,
 per me, meosque Collegas, Illustrissimum
 Principem, Dominum Carolum in Sylefia,
 Ducem Minsterbergensem, & Olessnicensem,
 atq; Comitem Glacensem: & Illustrissimum
 Dominum, Don Guilhelmum de S. Clemen-
 te, Regis Catholici Oratorem: ac Generosum
 & Strenuum, Dominum Ioannem Kochtitz-
 ki, Camerae Cæsareæ vtriusq; Sylefiæ Consilia-
 rium: amicè, & beneuolè contestari voluit;
 nimirum eum vobis non modò optare, ve-
 rùmetiam ex Inclyta sua Domo Austriaca
 offerre Regem, quem omnes Imperii Ordi-
 nes, omnes Status, omnes propemodum
 Principes, omnes Prouinciæ, & Regna; Ger-
 mania, Italia, Hispania, Hungaria, Boëmia,
 Dalmatia, Slauonia, Croatia, & si vobis etiam
 non ingratum fuerit, nouus Orbis, vobis,
 Reipub:

Reipub: patriæque charissimæ dedicant: atq;
vt regno potentissimo faustè, feliciter, &
augustè, ad Poloniae, Lituaniae, cæterarumq;
Prouinciarum sempiternam gloriam, ad
Imperii Christiani firmamentum, & robur
eueniat; vnanimi suo consensu, vestrisq; fir-
mis suffragiis, totis animis consecrant.

Et quoniam tacitè modò pro vestra sa-
pientissima prudentia, vnà cum Maiestate
Imperatoria, summisq; Christianitatis Princi-
pibus, cum proculdubiò eligitis Regem, quem
DEVS ipse antea vobis annuentibus maiori
ex parte, manifestè eligendum designarat;
in eam spem venio, planèq; confido, meam,
& breuissimam, & tenuissimam orationem,
in tanto, tamq; præclaro vestro, Viri amplifs:
confessu institutã, pro vestra incredibili bene-
uolentia, qua me vnumquemq; vestrũ com-
plecti video, optatissimum exitum habituram.

In quo, si huic florentissimo Regno feli-
cissima Regis auspicia, cum ingenti omnium
ordinum gratulatione acclamauero; si
Cæsari Augustissimo, atq; Sacro Imperio,
vestræ

O R A T I O.

vestræ tantæ felicitati amicè, & beneuolè fauenti, vestra studia sibi declarata deportauero; si Inclytæ Domui Austriacæ, quæ ad totius ferè Orbis iam gubernacula tranquillè, & pacatè sedet, inclinatos animos vestros declarauero; si Regi ex eadem augustissima, & celeberrima familia, honorem, nomenq; potentissimi Regni vnà vobiscum renunciauero; me verè fortunatè, & felicissimè huic mundo editum, vobisq; faustè, & optatè donatum esse cum summa mea læticia arbitrabor.

Erit proinde vestrum, Viri Illustrissimi, & fortissimi, in eam cogitationem mecum descendere, in qua omnes totius Orbis terrarum Ordines summo studio versantur, & vnanimi consensu conueniunt; paucis admodum exceptis, qui vel Inclytæ Domus Austriacæ splendori inuident, & viribus impares sunt, vel nomini Christiano aduersantur; nimirum, vt cum ex Clarissima Austriaca Familia, Regum, & Imperatorum procreatrice, libertatisq; omnium nationum vindice,

vobis,

vobis, vestrorumq; Regum generi, sanguine
coniunctissima, in Regem eligatis; qui vobis
gloriæ, stirpi Regiæ auitæ augmento, Reipub.
ornamento, toti deniq; Regno, atq; eiusdem
Prouincijs emolumento, ac hostibus vestris
terrori, Christianoq; orbi firmamento,
omnium iudicio, esse possit.

Vna enim, Viri Sapientissimi, & fortissimi,
vna, inquam, Domus Austriaca à trecentis, &
amplius annis, continuò Regum, & Impe-
ratorum genitrix, & Mater, vobis non modò
libertatem, qua meritò singuli vestrùm Prin-
cipes, & Reges propemodum apud exteras
gentes habemini, potenter, & benignè,
quemadmodum vbique terrarum solet, con-
seruabit; sed etiam liberrimam nobilitatem,
ob quam innumeræ Prouinciæ vos prædicant,
mirificè locupletabit.

Quærite, si lubet, vicinas gentes, inuesti-
gate proxima Regna, immò verò ad remo-
tissimas quasque Prouincias vos ipsos con-
ferte, demum sapientissimo vestro animo
iudicate;

B

iudicate;

iudicate; an hoc tempore, cui vobis est ad posteritatem seruiendum, firmior familia, an nobilior domus, an stirps vetustior, an augustior potentia, vna sobole Austriaca inueniri, aut excogitari toto terrarum orbe possit?

Hic mecum fateri non grauatè debetis, potentissimum Hispaniarum Regem; Imperatorem, vt paulò post dicam, excipio; Christiani orbis defensorem esse, & propugnatorem; qui cum plurimorum, & maximorum Regnorum sit Monarcha, terra, mariq; Turcam non modò multis in locis premit, & in suis oris, quas quotidie illi eripit, tanquã in carceribus, & custodiis potenter concludit; sed etiam ad vos vsque propemodum per totum orbis ambitum, per innumeras, barbaricasq; gentes, inuictissimè, & fortunatissimè victricia tam pacis, quàm belli signa collocavit.

Alexander olim Rex à prisca vetustate Magnus, & à nobis ipsis celebratus est, quòd à Græcia ad Indum fluuium vltra Tygrim & Euphratem, Macedonum legiones cum
in finitis

in finitis victoriis deportans, minimum orbis spatium emensus sit: At vnus PHILIPPVS Rex, pacis inter arma Dominus, quemadmodum Sol, à meridie per Occidentem, lucem Christiani Imperii, contremiscente, & trepidante Septentrione, Orienti deportauit; adeò, vt non solùm Scythæ, Moschi, barbariq; omnes ab Occidente per Septentrionem, in quibus vos vallum tanquam Prætorium posuistis; sed etiam ab Orientis Prouinciis, in quibus nudati, ac omni præsidio destituti sunt, inuictam potentiam ipsius reformidare, vnà cum Turca debeant.

Romani quondam mille ferè annis, quibus & mundi domitores, & Rectores haberi voluerunt, ita paucis, vestro etiam iudicio, Prouinciarum cancellis septi fuerunt; vt eorum & Imperatores, & Scriptores, homines contra nos incedentes, hoc est, antipodas esse, partim ignorârint, partim negârint; quos PHILIPPVS Austriacus multitudine nationum, & Regnorum tum varietate, tum

B ij

magni-

magnitudine Turca potentior, incredibili felicitate administrat.

Hic, si vobis placuerit, adiungite etiam RVDOLPHI Inuictissimi, & pacatissimi Imperatoris Regna, & Prouincias; quæ cum sint vobis vicinæ, tanquam muro, & vallo, non modò tutos ab amicis, sed & inimicis omnibus, quorum excursionibus terræ vestræ expositæ sunt, & patent, vos efficient terribiles, & formidolosos.

Neque verò ignorare potestis, quanto necessitudinis vinculo maiores vestri Reges, coniuncti fuerint Principibus, & Regibus Prouinciarum, quibus iam summa cum pace, & benignitate Sacratissimus Imperator tranquillè dominatur. Sed obliuisci etiam non debetis, quod ad vestram gloriam pertinet, earundem Prouinciarum maximarum, quas & ipse Imperator, & Domus Austriaca suavissimè, paternèque gubernat, vestrarum etiam potentissimarum ditionum, olim sæpè vnum Principem, vnumque Regem longo temporis interuallo

interuallo fuisse; qui cùm per Poloniam, Hungariam, Boëmiamque gloriosè floureret, non solum toti Europæ, sed etiam Asiæ, cum sui splendoris fama, & nominis vestri insigni laude terrorem incussit.

Hæc autem fertilissima, amplissimaque Regna, & opulentissima prouinciæ, Hungariam, Boëmiam, Morauiam, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Christiani Imperij propugnacula intelligo, vestræ potestati, vestris auxilijs, vestris præsijs, vestro inuictissimo robori, fraternis Regum foederibus, veteri auitarum gentium pactione, ad omnium hostium terrorem, fideliter, & integrè confociabuntur.

Hoc à vobis primi fundatores gentis Polonæ, & Boëmæ Parentes, iure prisco & naturali exigunt; hoc à vobis vicinitatis iura, quæ inter vos & Boëmos intercedunt, postulant; hoc à vobis connubia inter vtramque gentem longa temporis intercapedine celebrata, icta foedera, sancita pacta, bella coniunctis viribus

B iij

gesta

gesta exposcunt; hoc à vobis linguæ, morum, legumq. similitudo requirit; hoc à vobis vicinitatis, affinitatis, nobilitatis, libertatis, sanguinis deniq; coniunctio, & societas planè efflagitat.

Non est, quòd vobis iampridem notam, sapientissimi Viri, non est, quòd vobis, fortissimi Equites, quotidie vsurpatam apud vos, & commemoratam nobilissimam illam Casimirianam, seu Jagellonicā stirpem inculcem; non est, quòd Austriacam sobolem Imperatorum & Regum multitudine, ac splendore locupletatam, & illustratam, ad memoriam reuocem; non est, quòd vtriusq; generis coniunctionem per Regum vestrorum familias enarrem; RVDOLPHVM Austriacum, Imperatorem, Hungariæ, & Boëmiæ Regem, Serenissimi Vladislai quondam Regis Hungariæ, & Boëmiæ, non ignoratis esse Pronepotem; Casimiriana enim stirps est, Jagellonica progenies est.

Sed, & Serenissimi Austriae Archiduces,
Ferd-

Ferdinandus FERDINANDI Cæsaris filius ;
 Ernestus, Mathias, Maximilianus, Cæsaris iti-
 dem MAXIMILIANI filij, quos RVDOLPHVS
 Inuictis. Imperator, & potentis: Hispania-
 rum Rex Catholicus, vt ex ijs vnum, qui vo-
 bis maximè è re vestra, vestroq; Regno esse
 videbitur, eligatis, beneuolè, & amicè pro-
 ponunt; se genere Casimiriano fatos, & pro-
 genitos, vnà cum Maiestate Cæsarea, & Sere-
 nissimo Archiduce Carolo, non modò palàm
 profitentur; sed etiam ad hæc vsq; tempora,
 in linea, & sanguine virili diuinitus conser-
 uatos esse gaudent, & gloriantur; vt Nobi-
 lissimam Poloniae, & Lituaniae familiam ab
 interitu, cui proxima est, vindicare possint.

A Jagellonica enim familia ortum gene-
 rosum, à Jagellonica domo genus Regium, à
 Jagellonico, & Casimiriano sanguine spiri-
 tum, & vitam, qua florent, deducunt. Hi
 clarissimi, & Serenissimi Archiduces, genere,
 sobole, stirpe, sanguine, vita vestri sunt, Illu-
 strissimi, & fortissimi viri.

Immò

Immò etiam vti vobis, vestroq; generi, vestris moribus, vestris legibus se conformare cupiunt; ita non minùs vestra necessitudine, vestra consuetudine, vestrisq; consortijs ad perennem Jagellonicæ stirpis memoriam confociari exoptant. Atq; ita fraternis & concordibus animis, quod sine stupore dici, aut excogitari vix potest, seipsos vobis offerunt; vt singuli eum, quem ex se liberè elegeritis, non modò sine inuidiæ suspicione, summo amore, & debito honore sint profecuturi; sed eidem etiam Regi, & eius amplissimo Regno, suis viribus, suis facultatibus, atq; ad eò sua ipsorum propria vita suppetias, & auxilia, cùm necessitas postulauerit, abundè sint allaturi. Quod cùm Serenissimi Archiduces præter multorum opinionem, firmissimo fœdere inter se sancitum, & ratum esse voluerunt; nos Augustiss: Imperatoris R V D O L P H I, Potentiss: Regis Hispaniarum PHILIPPI, Serenissimorum eorundem Archiducum nomine, omnes Oratores publico hoc, & Clarif-

Clarissimo Conuentu, ad sempiternam Domus Austriacæ pacatissimæ gloriam, liberri-
mè profiteamur, & contestamur.

Videte proinde, ne, quem horum Serenif-
simorum Archiducum DEVS Opt: Max:
admirabili prouidentia, inter tot formidolo-
sas rerum vicissitudines, ex Regum vestrorum
fanguine & familia conseruauit, aliis exteris,
veluti degenerem, postponatis.

Nunquam enim FERDINANDVS, nun-
quam ERNESTVS, nunquam MATHIAS,
nunquam MAXIMILIANVS sanguinem,
quem ab Inclyta Polonorum, & Lituano-
rum gente duxerunt, vitio vlllo contaminârunt;
nunquã labe asperferunt; nunquam macula
aliqua affecerunt: sed vt Imperatorum sunt
fratres, vt Imperatorum sunt filii, vt Impe-
ratorum sunt nepotes, vt Imperatorum pluri-
morum, & Regum atauorum clarissima sunt
Progenies, incredibilis, & inaudita, vel potiùs
diuina nobilitatis maiestas, in iis elucet. Iam
multis Regum sceptris validæ eorum manus,
C & excelsæ

& excelsæ sunt decoratæ; iam ingenia, & Regia capita innumeris propemodum coronis, ad nominis vestri splendorem, & ornamentum, sunt mirificè insignita.

Etenim Potentissimi, & Inuictissimi Austriacæ Domus Imperatores, Rudolphus primus, Albertus primus, Fridericus Pulcher, Albertus secundus, Fridericus tertius, Maximilianus primus, Carolus quintus, Ferdinandus primus, Maximilianus secundus, Rudolphus secundus, qui iam felicissimè regnat & imperat, continuata diuinitus progenie, multis auguriis, felicibus auspicijs, illustribus titulis, hos Regios, & Cæsareos Principes illustratos, & redimitos, Illustrissimi & fortissimi Viri, vobis, vestroq; Regno, vti vestri quondam Reges Hungariæ, & Boëmiæ Regnis se obtulerunt, benignissimè dedicant, atq; consecrant.

Qui etiam præter innumeras Prouincias, præter infinita penè Regna, quæ Domui Austriacæ pacatissimè ad omnium stuporem parent, aliorum Principum Christiani orbis
floquentif-

florentissimorum, & opulentissimorum Principatum, quos enumerare breuitas temporis non patitur, vobis, vestroq; Regno, si vnum ex his quatuor elegeritis, societatem, foedera, auxilia, praesidia, quae in quavis Repub: benè constituta, summè sunt necessaria, ex inuictissimis longè, latèq; patentibus ditionibus, quarum vna Bauarica socia, & Austriae, Boëmiæq; vicina, vt Sabaudiam, Cluiam, Hetruriam, & cæteras taceam, dextras praebet integrè, & fideliter pollicentur.

Orbem terrarum, nihil iam de Europa dico, viri Illustrissimi, & fortissimi, Orbem, inquam, terrarum, foedere, societate, amicitia, nobilitatis, & generis coniunctione, Domus Austriaca, si vnum ex his elegeritis Regem, vobis perpetuò ad firmissimum Regni vestri robur, æternamq; gloriam deuinciet.

Sed in animis vestris prudentissimis proculdubiò fixum, & penitè insculptum est, vt olim sapientissimè Romani & Athenienses

C ij semper

semper iudicârunt, nullam Rempub: diuturnam, nullum Regnum stabile posse haberi, quod societate, quod foedere, quod amicitia cum aliis exteris nationibus non esset coniunctum.

Neq; enim vlla tam ingentia æraria, neq; tam magna vectigalia, neq; tam immensos thesauros, neq; tam fortem ciuium, & legionum manum, in aliquo etiam inuicto Regno esse, quæ cum societate, cum foedere, cum amicitia exterarum nationum, dum pericula inundant, comparari possint.

In quo vobis, vestroque Regno, Sapientissimi, & fortissimi Viri, ad perpetuum vestrarum Prouinciarum firmamentum, prospiciendum est; ne societates firmas, quæ vobis præsidio; ne sancta foedera, quæ vobis propugnaculo; ne iustas amicitias, quæ vobis semper auxilio in omni discrimine erunt, his rerum tempestatibus contemnatis.

Iam verò in tanta Domus Austriacæ Prouinciarum immensitate, in tanto, tamque infinito

infinito sociorum, & amicorum numero, defigite animos, & oculos ad eiusdem & Regnorum, & Prouinciarum opimos agros, ad fertiles campos, ad fortissimarum gentium populos, ad locupletissimas & munitissimas ciuitates, ad innumerabiles vrbes, ad infinita oppida, ad inexpugnabiles Arces, & munitiones, ad comptos, & lautos mores, ad ingenia sagacissima, ad validissima corporis & mentis robora, quæ vos, nobilissimi Viri, longa peregrinatione non obscure ad admirationem experti estis: Hæc, inquam, animis vestris defigite, atque ijs adiungite Inclytæ Domus Austriacæ propria ornamenta, diuinas virtutes, modestiam nimirum, continentiam, benignitatem, humanitatem, cum iustitia incredibilem clementiam, cum clementia sapientiam admirabilem, cum sapientia inuictissimam, & fortissimam mansuetudinem, deniq; cum mansuetudine summam erga DEVM religionem, & pietatem; iudicabitis profectò his virtutibus Domum Austriacam,
C iij tanquam

tanquam inuictis legionibus, validissimisque copijs, vniuersum orbem terrarum sibi vel vendicasse, vel certè magis conciliaffe.

Hic vestrorum plurimorum, eorumque maximorum, Illustris: & fortissimi Viri, fidem imploro, qui aliquando in aulis Principum Austriacæ familiæ, vel familiares morando, vel peregrini transeundo versati estis, vestram inquam fidem contestor, vestramque libertatem exposco; an vnquam alibi etiam apud humanissimos Reges, & Principes maiorem mansuetudinem, an maiorem lenitatem, an maiorem comitatem, an magis diuinam clementiam in priuato etiam homine ad humanitatem, vel factò, vel fictò, Austriacorum Archiducum syncera, & integra modestia, notare potuistis?

Facilè, hoc loco, incredibilem CAROLI quinti, Cæsaris, in deuincendis, & profligandis hostibus fortitudinem, in deuictis benignitatem; inusitatam & admirabilem FERDINANDI Imperatoris, in pacandis, cohibendisque

176
disque subditorum animis & molitionibus
clementiam; qui Imperatores, vt quondam
Iulius Cæsar, humanitate, & benigna quadam
animi moderatione, ipfas victorias vicisse sæ-
pius, meritò apud omnes iudicantur, ante
oculos verbis multis constituerem; si MAXI-
MILIANI Imperatoris, plurimi vestrùm No-
bilissimi Viri, dum ipsum ad hoc Regnum
amplissimum vestris suffragiis asciueratis, diui-
nam modestiam non essetis abundè experti;
qui non modò vni Competitori sibi impari,
Regnum, ne fæda ciuium clade ad perniciem
iactaretur, humanissimè concessit; verùm-
etiam alteri Candidato, nulla necessitudine
Regibus vestris coniuncto, tum contra omni-
um spem, & expectationem, ex remotissimo
Regno ad vos, per Imperii Prouincias adi-
tum communiuit; tum eundem ex Regno
vestro discedentem, ad omnium mortalium
stuporem, benignissimè propria domo ho-
spitio excepit.

Hæc

Hæc inaudita, inusitataque mansuetudo, uti soboli Austriacæ propria, & genuina, ita in singulis hisce Principibus cum admirabili splendore relucet; ut ij tam diuina clementiæ luce, plures gentes crudelitate immanes, ad humanitatem; plures populos multitudine innumerabiles, ad ciuilem vitam, religionemque Christianam traduxerint; quàm infiniti Reges, Imperatoresque potentissimi ferro, & igni facillimas à natura Prouincias, vel domare, vel continere potuerint.

Non est hîc, quod in singulis Principibus Austriacis hanc virtutem verè diuinam vobis commonstrem: Nota enim, & cognita non obscure vobis est, Illustris: & fortissimi Viri; qui cùm varias nationes, ad immortales sapientiæ thesauros conquiendos peregrinando, Austriacorum prouincias lustrâstis, quanta benignitas, quanta comitas, quanta mansuetudo, quanta clementia in his Principibus clarescit, proculdubiò aduertistis. quæ cùm Serenissimum & splendidissimum mansuetudinis

dinis plenum vultum spirant, & euulgant; intuentium non modò oculos alacritate suauiter delectant, sed etiam incredibili hilaritate mentes, pectoraq; , vt plurimi vestrum contestari possunt, perfundunt.

Hæc est virtus, Illustris: & fortissimi Viri, quam vestra nobilis libertas, quam libera nobilitas, quam iura, quam leges, quam Reipub: conditiones requirunt; vt nimirum singularis vnus ex his Archiducibus mansuetudo nobilitatem Polonicam humaniter, & beneuolè complectatur, libertatem vestram conciliet; sapiens eius lenitas nobilitatem vestram foueat; prudentissima clementia iura, legesq; defendat: placabilis verò, & inuictus animus cum summa integritate Rempub: moderetur, atq; gubernet.

Sic enim Domus Austriaca longa temporum serie ad Imperij, Regnorumq; gubernacula, totius terrarum orbis iudicio sedit, vt singularis eius cum iustitia mansuetudo, & inuicta eius clementia, non modò po-
 D pulos

pulos iure hæreditario sibi obtemperantes, clementer, & paternè rexerit; sed etiam armis, viribusque debellatos, humanissimè fouerit; atque præter omnem iuris ciuilibis omnium populorum, & victorum consuetudinem, benignissimè in libertatem vindicârit.

Iam verò eas Prouincias, quæ se vltro, atque liberè, liberas Austriacæ Domui gubernandas tradiderunt, Deus bone, quanta beneuolentiâ, quanta benignitate, quantis studiorum generibus Principes Austriaci ad humanitatem editi, & à natura fabricati, complexi sunt?

Videor enim videre, Illustrissimi, & fortissimi Viri, si vos vnum ex Domo Austriaca Regem asciueritis; eum non tantum Regem, sed quasi socium; non tantum Dominum, sed quasi collegam; non tantum summum Reipub: vestræ gubernatorem, sed quasi vnà vobiscum familiariter eandem Rempub: administrantem, atque ad eò nobilissimæ libertatis vestræ, & sacrosanctæ Religionis, in pace, in bello, in periculis, in morte, in vita, se conseruatorem libera-

liberalissimè exhibiturum, atq; daturum.

Quin etiam illud liberè, in hoc clarissimo conspectu vestro, ad vestram sempiternam gloriam proclamare me posse arbitror, vnum Regnum Poloniæ florentissimum, omnes Orbis terrarum Prouincias, vel societate, vel foedere, vel amicitia, vel dominatu complexurum; cùm vnum Austriacum, vel potiùs Astræum astris, atq; ipsi fortunæ imperantem, positis armis in summa pace Polonia est habitura.

Nolo hïc aliquorum ancipites, & fortè dubias mentes ad Turcarum cogitationes impelli: sic enim apud animum meum statuo, quemadmodũ vnumquemq; vestrũ secum rectè meditari video: Turcam non tam facilè ob vestram liberam Regis ex Domo Austriaca electionem, vobis arma intentaturum. Nec enim foedera tam inter vos, & illum, quàm inter eundem, & aliquas Domus Austriacæ Prouincias, iampridem ic̃ta, contra ius, fasq; sine causa violabit. Nec vestro

D ij

Inuictis-

Inuictissimo Regno, infinitarum gentium, & populorum præfidiis, & auxiliis, per Austriacum Regem electum, mirificè, & incredibiliter aucto, belli terrores cum suo summo discrimine denunciabit.

Quin potius vestram potentiam, plurimarum tam vicinarum, quàm remotarum Prouinciarum, Regnorum, atq; adeò totius Christiani Imperii, validis, & inuictis viribus amplificatam, & stabilitam, multò magis reformidabit, vosq; tam illi, quàm cæteris barbaris, fortissimi, & metuendi terrorem incutietis. Ne autem vos aut minæ illius, aut inopinatæ, quas vereri existimamini, incursiones, incertos, & suspensos reddant; nam bellum publicum ab ipso, cum alibi, præsertim Persarum potentia, variè distrahatur, non est, quòd reformidatis; audistis, quid Pont: Max: pro sua in Rempub: Christianam paterna sollicitudine, & erga Regnum hoc vestrum amore, per Legatum suum proposuerit & obtulerit; quid verò
Impe-

Imperatoria M^{tas}, quid Philippus Rex Catholicus, quid Domus Austriaca vniuersa, quid Imperij Electores per suos Oratores in id ipsum promittant; ex iis quæ seorsim commoda exhibituri sumus, quibus vobis omninò, Viri Illustris: & fortis: satisfactum iri planè confidimus, liquidò apparebit, atq; constabit.

Si verò nihilominùs Turcarum ministeri, quod vestro magnanimo robori repugnat, ad eius voluntatem seu decretum, Regem statueritis; libertas vestra vobis sensim eneruatur, vobis tollitur, vobis amittitur, vobis proffigatur, vobis calamitas cuditur, vobis ruina struitur, exitium paratur; & Regni in Rege, quem Turca vobis designaret, extrema pernicies, cum depopulatione & interitu, ad perpetuum nominis vestri opprobrium, ô Nobilissimi & fortissimi Poloni, atq; Lituani, accerferetur.

Iam verò vasta Moscouiæ ditionis magnitudo, Inclytæ Domui Austriacæ semper
D iij hæctenus

hactenus amica, huic, atq; ex eadem familia vestro Regi electo, societatis auxilia, pacisq; foedera, ita iampridem obtulit; vt planè superuacaneum sit hoc tempore conari immensitatem illius magni Ducatus, amplissimo vestro Regno, sub vna corona coniungere: nisi fortè illud Octauiani Augusti Cæsaris, deplorandum de Imperio Romano, cùm in immensum nationum, & prouinciarum multitudine augetur, & excreceret, augurium prolatum, vestro quoq; latissimo Regno conuenire velitis.

Is enim cùm Imperij fasces, quotidie duplicato numero sibi à Senatu amplificari, vigintiq; tres exercitus diuersis in Prouincijs ali oportere videret; ingenti cura, & summo dolore ingemuit primò; deinde cùm somnū ex tanti Imperij administrandi solitudine capere non posset, populo Romano spectante, vestem Imperialem, quòd Imperium sua mole, & magnitudine interiret, indignabundus diloricauit.

Quod

140
Quod sanè vobis, Illustris: & fortis: Viri,
vehementer est reformidandum; ne, si in
vnius Regis humeros, tot, tantarumq; Pro-
uinciarum pondus constitueritis, amplissima
vestra Respub: sua ipsa magnitudinis mole,
vnà cum ipso Rege penitùs obruatur: nevé
gloriosi victores victum, & profligatum sæ-
piùs hostem in Regem sibi creantes, victoria-
rum triumphos, vnà cum nobilissima liber-
tate, qua gloriosè inter vniuersi orbis natio-
nes viuitis, & sacrosancta religione; atq; sua-
uissimis moribus, incultæ genti, ac duræ ser-
uituti vltro deuoueat, ac mancipetis.

Quòd si tamen vos Moscouia sollicitos te-
net, ne dubitetis, quin vltro paulò post cum
innumeris populis, cum infinitis, & bellico-
sissimis nationibus, quæ se effusè vobis, vnà
cum Rege Austriaco offerunt, ad gloriam
nominis vestri sempiternam, ad hostium
vestrorum terrorem, facilimè accedet.

Domus enim Austriaca, Principatum
Domina, Dominatum Genitrix, Gentium
Princeps,

Princeps, non modò sua illa, in rebus agendis, & gubernandis, admirabili prudentia Moscouiam est vobis conciliatura; sed & omnes controuersias, & disceptationes admodum periculosas, quæ vobis sunt, non solum cum iisdem Moscis de Seueriensi Ducatu, ac alijs; sed etiam cum Sacro Imperio de Prussia, & Liuonia; cum Philippo Rege Hispaniarum de Barenfi Ducatu, & Rossanensi Principatu; cum Dania, & Succia Regibus, atq; maritimis Germaniæ ciuitatibus, de nauigationibus ad uestrarum Prouinciæ commo- dum, & emolumentum, omni studio, & conatu est compositura.

Quæ equidem controuersia, cum perpetuam dissidiorum, inter hoc uestrum Regnum, & alia Regna, Prouinciasq; segetem ita alant, vt vix vlla tuta confœderatio iniri, vix vlla sancta amicitia ad Christianæ Reipub: robur firmari possit; nisi hac tutissima, & facilima ratione sopiantur, dici non potest, quantum malorum incendium, & perniciem

niciem vobis, vicinisque vestris, populis Christianis sunt aliquando ex insperato, quod DEVS auertat, allaturæ.

Hanc tantam, tamq; acerbam malorum tempestatem, vobis est facile, Illustrissimi & fortissimi Viri, à vestris, & vestrorum cervicibus auertere, si in vnus clarissimi Principis Austriaci caput diadema imposueritis: vnde in vicinorum mentes, & vestros animos pax, & concordia abundè descendet; qua stabilita, Regnum vestrum omni diuitiarum genere, omniq; facultatum copia, auctis in vestrum emolumentum vectigalibus, magnopere locupletabitur.

Non enim solùm ex Barensi, & Rossanensi ditionibus, quibus Rex Philippus huc vsque vtitur, Italicis illis opulentiis, & amplis fortunis potiemi; sed etiam ex liberrimis Isthmi, & Baltici maris nauigationibus, quæ iam solummodò ad necessitates, nondum ad opes vobis sunt cognitæ, infinitos thesauros reportabitis: qui sic in hoc vestrum
E Regnum

Regnum portubus, vectigalibus, mercibus, mutuisq; negotiationum generibus influent; vt non ex mari, & terra iam manare, sed tanquam è cœlo ad omnium rerum abundantiam, inundare arbitraturi sitis.

Neq; verò hîc infinita alia commoda, & ingentes vtilitates, quibus hoc regnum, tanquam diuinis copiis fortunatum, & faustum euadet commemorabo, ne fusior sim, quàm vestræ aures, & grauißima consultatio patiatur; sed potiùs ea scripto exhibebimus, quæ, vt pro vestra spectata prudentia consideretis, perpendatis, animumq; inducatis, & nobiscum de iis beneuolè conueniatis, maiori quo possumus studio rogamus: ponite tamen ante oculos Domui Austriacæ innumeras gentes, infinitos populos, maxima, opulentissima, numerosissimaq; Regna subiecta; quæ, cum vobis erunt socia, amica, confœderata, vos Senatores Illustrissimi, vosq; Equites fortissimi, ad totius penè orbis grauißima subfella, ad summa gubernacula sedere, cum
immor-

immortali vestra gloria, & ingenti gaudio lætabimini.

Non enim solùm vestræ ciuitates pacatæ, non solùm Arces munitæ, non opimi, & fertiles agri, vos, vestros liberos, vestram nobilitatem in pace, & quiete solabuntur; sed omnium nationum, omnium gentium, omnium populorum Prouinciæ, ciuitates, vrbes, propugnacula, Principum palatia, Gymnasia tam bellica, quàm literaria, vobis, vestris liberis, vestræ nobilitati, ad diuitiarum cumulos, ad sapientiæ thesauros conquirendos, quibus patriam, posteritatemq; ditetis, vti fratribus, vti amicis, vti sociis, non iam vt aduenis, aut peregrinis, cum omni honore patebunt.

Vnde ingenuæ vestræ Nobilitati, tam in Aulis Principum Christianorum, ad generosam indolem ornatis moribus informandam, quàm in Castris, & propugnaculis militibus, ad fortitudinem acuendam, munia honoraria, officia præclara ab Imperatore, à Regibus, ab Archiducibus, à Principibus,
E ij à sum-

à summis deniq; Viris, vltro, & beneuolè offerentur.

Agite igitur, Viri Illustris: & fortis: agite, inquam, vt quod SS. D. N. Sixtus Quintus Pont: Max. quod Augustis: Imperator, quod potentis: Rex Catholicus, quod vniuersa Inclyta Domus Austriaca, eiusq; pietas, iustitia, mansuetudo, integritas, potentia, quod Sacrum Imperium, quod Italia, quod pluri-
 rimi, ijque maximi Christiani orbis Principes, à vobis paternè, atq; amicè postulant. Immò quod populus Christianus, quod omnes ordines, quod Jagellonici sanguinis iura, quod vestra, omniumque vicinorum totius Christianitatis tam publica, quam priuata salus efflagitant, quod deniq; Sacrosancta Religio suadet, & DEVS ipse Opti: Maxi: à vobis requirit, nullis aduersis, & pugnantis sententiis denegetis.

Vestrum est, vt potè, qui in his subselliis, tanquam columina Reipub: vestræ, à
 DEO

DE O constituti estis, diligenter prouidere; vt dum in patriæ vestræ commoda, & ornamenta incumbitis, ne Christiana Respub: cuius vestrum Regnum illustris pars est, detrimentum patiatur; ne Augustissima Domus Austriaca, quæ cum Cæsarea Maiestate de se, suoq; Inclyto sanguine, vobis Regem benignissimè offert, ac vos, vestrumquè singulos omni amore, beneficentia, ac honore complectitur, si eam innocentem, & præter sua in vos, adeoq; vniuersam Christianitatem promerita, neglexeritis, ludibrio & contumelia afficiatur.

Consentite proinde, & coniunctis animis conspirete, Reuerendissimi, Illustrissimi, Nobilissimi & fortissimi Viri, qui hoc in grauissimo confessu corporibus sociati estis, & ad æternam DEI immortalis gloriam, ad Reipub: Christianæ propagationem, ad Regni vestri florentissimi felicitatem, ad Domus Austriacæ splendorem, deniq; ad
E iij omnium

omnium Christiani nominis inimicorum perniciem, & ruinam; consentite, inquam, & sanctè conspirete concordibus sententijs, firmis suffragiis, & desideratissimum optatissimumq; ex augustissima Domo Austriaca, siue FERDINANDVM, siue ERNESTVM, siue MATHIAM, siue MAXIMILIANVM, quem ex his Serenissimis Archiducibus, vestro arbitratu volueritis Regem, duce, & auspice DEO, vobis, nobisq; omnibus felicissimè renunciate.



194



Umg. VI 67

[Dissertationes

miscell. Vol. 21.]


ULB Halle


3

002 402 475



A-20





²⁰
RVDOLPHI ^{u)} 121
SECUNDI ₂₀

SACRATISS: ET INVICTISS:
ROMANORVM IMPERATORIS,
GERM: HVNG: BOEMIAEQ. &c.
REGIS, &c.

*Reuerendiss: & Illustriss: Domini, Dñi Stanislai
Pawłowski, Episcopi Olomucen: Principis,
Regalis Capellæ Boëmiæ Comitis, &c.*

Oratoris

AD

Inclyti Regni Poloniae, & Magni
Ducatus Lituaniae, &c. ampliss.
Senatores, & nobiliss. Equites

ORATIO

In Castris apud Varslauiam ad noui
Regis electionem habita,

Die 14. Mensis Augusti, Anno Domini
M. D. LXXVII.

